ipse portauit. Suscepit enim infirmitates nostras. ut esuriret. sitiret. fatigaretur. contristaretur. et ad ultimum moreretur. Ab his in-
firmitatibus sanauit eum deus pater. quando eum suscitauit a mortuis. et collocauit eum ad dexteram suam. Siue et certe id est in corpore
suo quod ecclesia est. sanatur christus. cum a corruptionibus quae per peccatum egerit fideles eius liberantur. Sic propheta promittit. Propitia-
tur omnibus iniquitatibus tuis. et sanat omnes infirmitates tuas. et redimet de interitu uitam tuam. Domine eduxisti ab infer-
no animam meam. resuscitando me a mortuis. Christo enim spiritum emittente in cruce. anima eius descendit ad infernum.
ut inde suos eriperet. Et inde eum deus pater eduxit die tertia reuocando eum ad superos. Saluasti me a descendentibus
in lacum. hoc est a societate illorum qui in peccati uoragine demerguntur. Quamuis etiam locum infernum possint accipere iuxta
quod propheta domino christo dicit. Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti uinctos tuos de lacu. in quo non est aqua.
in hunc lacum descendunt omnes qui in profundo errorum et peccatorum permanent. Psallite domino sancti eius. inuitat propheta
credentes ut pro plus beneficiis capiti et membris eius collatis deo patri psallant. Et confitemini memoriae sanctitatis eius.
id est naturae diuinitatis suae et misericordiae. natura enim dei. bonitas et clementia. Memor ergo deus fuit sanctitatis suae. qua pecca-
tores sanctificaret. et ex iniustis et impiis. iustos et sanctos faceret. Memor autem dicitur sanctitatis suae. quam numquam obliuiscitur usitato
more scripturae. Et ille prior memor fuit sanctitatis suae ut nos sanctificando memores sui faceret. sicut prior ipse dilexit
nos. ut nos illum diligeremus. Quoniam ira in indignatione eius. peccante primo omnium indignatione dei ira fuit. id est in omne
genus humanum digne super ducta est. Vita uero fuit in uoluntate eius fuit. Quando in plenitudine temporum missus est filius
dei in mundum. qui nos a morte eriperet. et uitam nobis concederet aeternam. Et hoc in uoluntate eius fuit. quia nostris uiribus sal-
uari non poteramus. et ad uitam uenire. non pro sola eius uoluntate. Possumus quoque simpliciter hoc accipere. quia nobis peccantibus in
indignatione dei ira sit. paenitentibus uero et conuersis. uita in eius uoluntate donetur. Ad uesperum demorabitur fletus. et ad
matutinum laetitia. Peccante primo homine in paradiso uesperum fuit. quia sol ueritatis et diuinae cognitionis humano
generi occubuit. Succedentibus errorum et ignorantiae tenebris. tunc demoratus est fletus. quia per longa saecula. hoc est per quinque aetates
mundi luctus errorum et profundae noctis caecitas continuata est. Matutinum uero fuit quando nascente christo sol iustitiae
ortus est et gaudium mundo per angelos nuntiatum. Possumus quoque uesperum intellegere traditionem christi quando apostoli
flebant et tristabantur. Matutinum uero tempus resurrectionis. quando apostoli cognita eius resurrectione gaudebant. Ego
autem dixi in habundantia mea non mouebor in aeternum. Vox christi est secundum humanitatem. Suam autem habundantiam pleni-
tudinem diuinitatis dicit. quae in christo corporaliter habitauit. Verbum enim caro factum est. et habitauit in nobis. et uidimus
eum plenum gratiae et ueritatis. Gratiam refertur ad humanitatem. ueritas ad diuinitatem. quae hominem illum in una persona sus-
ceperat. Iure ergo confidebat se non moueri in aeternum. hoc est non conturbari. quem sua diuinitas confirmabat. Domine in uolun-
tate tua praestitisti decori meo uirtutem. Exponit quodammodo unde haberet ut non moueretur in aeternum. hoc est non ex se. sed ex assu-
mente deo. In uoluntate inquit tua praestitisti decori meo uirtutem. quod dominus etiam secundum humanitatem pulcherrimus fue-
rit. idem psalmista alibi testatur dicens. Speciosus forma prae filiis hominum. hanc speciositatem et decorem etiam maxime ei
possumus accipere. qua sanctus. quia innocens. quia immaculatus fuit. Hic est enim uerus decor et uera pulchritudo. quam sanctam
in nobis diligit deus. Hunc decorem praestitit deus pater. id est [illegible] uirtutem. quia dedit ei potestatem faciendorum signorum et miracu-
lorum. Auertisti faciem tuam a me. et factus sum conturbatus. Tamquam diceret. dereliquisti me in passione. et ideo conturbatus sum id est
contristatus. Vnde ipse dicebat. Tristis est anima mea usque ad mortem. Et in cruce positus. Deus meus quare me dereliquisti. Ergo
quia auertisti faciem tuam a me. clamabo ad te. et ad deum meum deprecabor. Quod id ipsum est. quod et ad te domine clamabo. Aliter
Sunt quidam qui in habundantia uirtutum positi non deo ipsas uirtutes tribuunt aut gratias agunt. Putantes se a se ip-
sis eas habere. Ab his ergo auertit deus faciem suam. et recedente deo turbantur temptationibus. sic quia coguntur cognoscere in-
firmitatem suam. et quia ex se nihil boni habere possunt. Ergo necesse est ut fiat quod sequitur. Ad te domine clamabo et ad deum meum
deprecabor. Qui enim superius psallebat in laetitia iam humilis clamat et deprecatur dominum. Quae utilitas in sanguine meo. dum des-
cendo in corruptionem. Sensus talis est. quid proficit mea passio dum descendo in corruptionem. dum flagellis caedor. dum colaphi-
zor dum crucifigor. Si genus humanum non saluatur. pro cuius salute carnem assumpsi. Illa corruptio hic pro uulneratione cor-
poris ponitur. non pro putrida factione. alibi enim dicitur. Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Siue secundum cassiodorum. quae
utilitas in sanguine meo. id est in morte mea. dum descendo in corruptionem. hoc est si diu mansero in morte. et corpus meum